

Franz Albert Aepinus

**Academiæ Varniacæ Rectoris Franc. Albert. Æpini, S. S. Theol. D. ... Programma  
Pentecostale, Qvo Cives Academicos ... Ad Piam Deoqve Devotam Festi  
Celebrationem Cohortaturus, Symmartyrian Spiritus Sancti De Fidelium In Filios  
Dei Adoptione, Sacris Eorvm Meditationibvs Substernit**

Rostochii: Typis Ioannis Iacobi Adleri, [1739?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004028547>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1739. Pfingsten.

~~A-1256~~ 283.

Kf. 1739

ACADEMIAE VARNIACÆ RECTORIS;  
**FRANC. ALBERT. ÆPINI,**  
S. S. THEOL. D. PROF. DUCAL. PUBL. ET CONSIL.  
CONSISTOR.

**PROGRAMMA PENTECOSTALE,**  
QVO  
CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS  
AD  
PIAM DEOQVE DEVOTAM FESTI CELEBRATIONEM  
COHORTATUS,


**ΣΥΜΜΑPT YPIAN**  
**SPIRITUS SANCTI,**  
DE  
**FIDELIUM IN FILIOS DEI ADOPTIONE;**  
SACRIS EORVM MEDITATIONIBVS  
SUBSTERNIT.

---

ROSTOCHII,  
TYPIS IOANN. IACOBI ADLERİ, SEREN. PRINCIPIS  
ACAD. ET TEGOGR.



M. 1256 253



ACADEMIAE VITERBIENSIS LIBRARIA

ERANIC ALBERTI

**P**entecostes Festum, quod hisce diebus celebrat Ecclesia Christiana, haud minus ac reliqua, in memoriam nobis revocat Magnalia DEI, praetertim ea, quæ tertiae S. S. Triados personæ, Spiritui, inquam, Sancto, tam in Scripturis sacris, quam ab Ecclesiâ, peculiariter appropriari solent. Quorum autem, sive prædicata & epitheta, sive officia passim Scripturarum Spiritui sancto tributa respexerimus, ingentem deprehendimus numerum, quæ singula singularem merentur sibi postulant piam hominis Christiani meditationem, atque de iis verba faciendi materiam suppeditant non variam solum, sed & amplissimam. Verum, ut in actionibus nostris, quod optimum censetur, sine reliquorum tamen, quando ad eadem quoque occasio se offert, neglectu, semper præferri debet; ita nec minus sacris meditationibus nostris, licet non omnium summum, quod tamen inter præstantissima merito suo pretiove numerandum, objectum substernamus, fas est, ita tamen, ut nec ceterorum, quoties eorundem meminisse juvat, oblivionem mentes nostras occupare, patiamur. Absit itaque, quæ Spiritus S. per omnem vitam nostram in nos contulit, & hodiernum, si verâ fide acceptaverimus, confert, per Christum, ex gratia DEI, nobis parta, beneficia bona que vel parvi dantaxat aestimemus, vel ut commemoratione parum digna posthabeamus, cum omnia, quotquot & quæcunque fuerint, in æternam nostram tendant salutem. Interim ex magno eorum numero, prout occasio se offert, unum alterumve peculiariter considerare licet, reliquis minime neglectis, aut minoris aestimatis, sed in præsenti tantum silentio præteritis, ita, quod jam agimus, hodiernum Festum, Spiritus sancti horum

nori peculiariter dicatum, omnia quidem, quæ ab illius gratia  
vel impetravimus, vel petere & exspectare possumus, bona no-  
bis ob oculos quasi ponit; haud tamen omnium eorum exiguo  
chartæ spatio poterimus dignam simul instituere consideratio-  
nem. Est namque Spiritus S. qui fidem in Salvatorem ne-  
strum, unicum illud ex parte nostrâ salutis adipiscendæ medi-  
um, in nobis operatur. Est ille, cuius gratiæ, quicquid fidem  
istam necessario vel antecedit, vel consequitur, acceptum refe-  
rendum est. Omnia quidem illa gratiâ devotâque mente reco-  
lamus, nostri est officii; veruntamen unum eorum post alte-  
rum, & nunc aliud, aliud alio tempore peculiariter piè medi-  
tari, quod prohibeat, nil quidquam est, prouti res ipsa pariter  
atque Scriptura S. condocent. Idcirco hac vice tale feligemus  
ex magno illorum cumulo, sacrisque nostris meditationibus  
pentecostalibus, tanquam objectum devoté considerandum,  
exhibebimus Spiritus Sancti beneficium ac donum, quod reli-  
qua præsupponit, quin omnium eorum, quatenus ad vitam  
gratiæ pertinent, velut illa confirmans & ob-signans sigillum  
æstimandum venit. Est illud, quo Spiritus S. fideles de sua  
in filios DEI adoptione convincit ac certos reddit, testimonium,  
de quo Paulus Rom. IIX. 16. testatur: Αὐτὸν τὸ πνεῦμα, inquiens,  
συρματίζουσεī τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι εἰσπέντε Τέκνα Θεοῦ. Dixerat  
Apostolus v. 14. Quotquot Spiritu DEI aguntur, eos esse filios DEI;  
mox additâ v. 15. ratione: quia non acceperint Spiritum servitutis  
iterum timorem; sed acceperint Spiritum adoptionis, per quem cla-  
mamus, Abba, Pater! Atque hunc ipsum Spiritum, αὐτὸν τὸ πνεῦμα,  
dicit, in nobis testari, quod simus filii DEI. Ex quo intelligi-  
tur, non alium hunc esse testem, præterquam Spiritum S. ter-  
tiam DEitatis personam, eundem, numero eadem essentiâ, cum  
Patre Filioque DEum, i. Job. V. 7. adeoque non solam virtu-  
tem, aut operationem divinam in creditibus, uti Sociniani  
volunt; nec internum, qualem à naturâ hominibus insitum  
Fanatici configunt jactantque, spiritum; multò minus spiri-  
tum aliquem creatum seu Angelum, sive bonum sive malum.  
His enim omnibus nomina Spiritui huic testi in hoc capite tri-  
buta non convenient, nec convenire possunt. Digitur nam-

que v. 9. *Spiritus DEI, & Spiritus Christi*, ad æternam illius; cui  
tertiæ DEitatis personæ, à Patre Filioque processionem deno-  
tandam, quippe quæ sola, juxta Scripturæ phrasin, hujusmodi  
denominationis in DEitate, quâ nomen alterius alteri, in casu  
obliquo, additur, fundamentum est, sicut ex illa, inter perso-  
nas divinas quæ intercedit, relatio resultat, ut una earum ab al-  
terâ, & Spiritus ille testis à Patre Filioque, secus ac Noëtiani  
& Sabelliani veteres, quin & Fanatici moderni volunt, réaliter  
ac hypostaticè distingvatur. Imò vero, qui multis aliunde col-  
lectis argumentis illud probemus, eò minus necessarium est,  
quod certius id per ipsum hoc, quod in nobis ferre dicitur, te-  
stimonium filiationis nostræ confirmatur. Ecquis enim alias  
de eo certos nos reddere valet, nisi Spiritus, qui ipse DEus est?  
Quis alias infallibile ac irrefragabile de eo testimonium dicere  
poterit, præter Spiritum Sanctum? qui omnia scrutatur, etiam  
profunda DEI, & ea, quæ DEI sunt, nemo novit, nisi Spiritus  
DEI, I. Cor. II. 10. 11. At adoptio fidelium est immanens opus  
DEI, pariter ac justificatio, de quo citra manifestationem divi-  
nam nobis constare non potest. Omnium igitur optimè certissi-  
mèque de ejus certitudine nos convincere atque securos red-  
dere potest Spiritus sanctus, Spiritus ille veritatis, in omnem  
nos veritatem ducens, Job. XVI. 13, ut ejus testimonium, siqui-  
dem divinum est, nilquidquam in nobis dubii relinquat. Nam  
& ipse πνεῦμα ὑιοθεσίας, Spiritus adoptionis est: sicut igitur  
quilibet intelligendo agens, actionum suarum optimè sibi con-  
scius, omnium certissimè de iis testari potest; ita Spiritus S. in  
nobis infallibile perhibet, quod filii DEI sumus, tanquam ope-  
ris à seipso profecti, testimonium. Est enim ipse cum Patre  
Filioque hujus adoptionis causa, siquidem nos, cum essemus  
naturâ filii iræ, Eph. II. 3. per lavacrum illud in Verbo, Eph. V. 26.  
in filios DEI regeneravit, & hæredes efficit salutis æternæ,  
Job. III. 9. Tit. III. 5. 6. 7. Hinc etiam, si nos iplos resperxi-  
mus, certissimum est Spiritus sancti de filiatione nostrâ testi-  
monium. Novimus quippe, non esse filios DEI, nisi per fidem  
in Christum JESUM, Gal. III. 26. hanc autem fidem in nobis  
accedit ac operatus est Spiritus sanctus per illud lavacrum re-  
gene-

sup.

generationis : unde , quoquot in Christum baptizati sunt ,  
Christum induisse dicuntur , Gal. III. 27. quæ induitio non ali-  
ter ac per fidem fieri potest , Eph. III. 17. Et quemadmodum  
Spiritus S. fidem nobis contulit , sic eandem quoque conservat  
confirmat , adauget in nobis , sive per peccata proæretica ean-  
dem amiserimus , in poenitentibus restaurat reparatque : qua-  
propter & Spiritus fidei dicitur , 2. Cor. IV. 13. & inter fructus  
Spiritus , Gal. V. 22. etiam fides refertur , coll. Rom. II X. 15. & 26.  
Accedit , quod & in credentibus habitat Spiritus S. Rom. II X 11.  
I. Cor. III. 16. VI. 19. unde fidem eorum & universum statum  
gratiæ quam intimè cognoscit . Quis ergo dubitaverit , illius  
in nobis testimonium certissimum , & infirmitate nostrâ , omni-  
que vel dubitatione vel diffidentiâ humanâ majus esse ? Quare  
graviter errat Concilium Tridentinum Sess. VI. Cap. IX. & ejus de-  
creto adhaerentes Pontifici , fidelibus de sui justificati-  
one , adoptione , statuque gratiæ , certitudinem divinam ac in-  
fallibilem omnem denegando , non nisi conjecturalem duntaxat  
meramque humanam pervasionem ipsis de eo relinquentes .  
De quo quidem prolixius heic disputari , non vacat , contrario  
jam è Textu nostro , ut nec explorationem fidei nostræ , 2. Cor.  
XIII. 5. nec Verbi divini veritatem , Job. XVII. 17. & efficaciam  
divinam , Rom. I. 16. commemoremus , satis superque probato .

Quod si nunc quæratur : Cuinam igitur à Spiritu S. testi-  
monium hocce perhibeat ? ex dictis equidem constare potest ,  
solos fideles eo gaudere posse , sed specialiter Apostolus respon-  
det , id dari τὸν εὐμάρτυρον , spiritui nostro . Non curabimus hic in-  
ternum illum spiritum in natura cuilibet hominum inexisten-  
tem , de quo Fanatici , gloriantur , quemque tertiam , à Platonica  
Philosophia seduclì , configunt essentiale atque constituti-  
vam hominis partem . Nam duabus tantum partibus essentia-  
libus homines constare , non sana solum ratio , sensu & expe-  
rientiâ suffulta , sed & S. Scriptura condocet , sive primam pri-  
mi hominis creationem , Gen. II 7. sive partium hominis in mor-  
te dissolutionem , Ecl. XII. 7. sive statum hominum post mor-  
tem , Matth. X. 28. 2. Cor. V. 1. & 8. describat . Ut igitur non eni-  
tia nullæ possunt esse affectiones ; ita non potest Apostolus ta-

Item confitum spiritum intellexisse, de quo afferat, Spiritum  
S. illi contestari. Interim non potest non homini intrinsecum  
quid esse, quod spiritus nostri nomine hec venit, idque vel  
substantiale quid erit, vel in qualitatibus accidentalibus con-  
sistens. Notum etenim est, Scripturam non solum animam  
rationalem hominis, cuius essentia spiritualis est; verum etiam  
in fidelibus, quæ Spiritus S. in iis operatur, dona supernaturalia,  
per Metonymiam causæ, spiritum passim appellare. Sed hæc  
intelligi hoc loco non posse, haud facile quisquam negaverit,  
cum concipi nequeat, quomodo testimonium ad illa  
terminetur, aut quem in usum idiis in perhibeat. Ut itaque  
remaneat, animam nostram, & quidem quoad superiorem il-  
lius cognoscitivam facultatem, per testimonium hocce certio-  
rem reddi. Certioratio namque cognitionis alicujus ad intel-  
lectum terminatur, non ad voluntatem, facultatem rerum jam  
cognitarum appetitivam.

Objetum testimonii hujus indicatur esse filiatio, vel adoptio  
nostra, quod nempe filii DEI sumus: Quo clare satis describitur &  
explicatur *vivæ fæcias*, quam *præc.* v. 15. Spiritui S. ceu causæ tri-  
buerat Apostolus. Magnopere namque falluntur, qui contra  
mentem Apostoli, alium vocabulo huic significatum imponere  
malunt, qvæsi non adoptionem in filios, sed transformatio-  
nem, vel transpositionem in Filium, germanice: eine Verze-  
hung in den Sohn, denote exprimative. De quibus haud im-  
merito pronunciandum illud Paulinum, i. Tim. i. 7. *Volunt esse Le-*  
*gis doctores, cum tamen non intelligant, neque quæ dicunt, neque circa quæ*  
*asseverant.* Nec enim derivatio vocis Grammatica, nec loquen-  
di usus, nec ipsa res talem admittere potest interpretationem,  
qvin potis Fanaticam illam eloquatur Deificationem,  
vel Christificationem, & tam emanationem, quam commenti  
sunt, creaturarum ex essentia divina, quam earundem in illam  
retroversionem, fundamentum illius æterni, quod vocant, Ev-  
angelii, de ἀποκαλασίᾳ τῶν, nimium quantum sapiat, imo  
præsupponat. Apostolus certe planam atque perspicuum *vivæ*  
*fæcias* hujus nobis descriptionem dedit, asseverans, Spiritum S.  
spiritui nostro contestari, *quod sumus filii DEI.* Filii DEI vero hic  
intelli-

intelliguntur, non per creationem tales, quoniam modo omnes, etiam impii & increduli, filii DEI sunt, atque DEUS Pater omnium est, *Malach. II. 10. 1. Cor. IIIX. 6.* sed per supernaturalem regenerationem, quales, uti superius dictum, soli fideles sunt, soli hujus testimonii Spiritus sancti capaces.

Tandem & actum modumque testandi Spiritus Sancti contemplemur, in Textu nostro supereft, quem Paulus exprimit verbo composito *συμμαχούσειν*, id quod varias heic & translationes & expositiones peperit. Quidam verterunt: *testimonium reddit spiritui nostro*; alii vero: *testatur una cum spiritu nostro*; vel *cum spiritu nostro*. Sic & germanicè plerique cum Luthero reddidere: Giebt Zeugniß; alii vero: Zeuget mit unserm Geist; & Joh. Henr. Reitzius: Gibt Mir Zeugniß unserm Geist. Ex quo varias etiam enatas Interpretum explicationes reperiri, non est, quod miremur. Quandoquidem autem, ut inter omnes notum est, verba cum præpositionibus composita haud raro eandem cum simplicibus obtinent significationem, & ipsum Latinum: *contestari*, loco simplicis: *testari*, frequenter usurpatum, idemque de Græcis quoque verbis constat, dum compositum illud: *συμμαχούσειν* in Codice Novi Testamenti, *Rom. II. 15. Apoc. XXII. 18.* simplicem & nudam testificationem, fine alterius cujuspiam contestatione, denotat: idcirco cum *Hug. Grotio* & aliis quamplurimis, nonnullis etiam inter ipsos Calvinos Reformatos, (\*) Apostoli menti quam maxime congruere ducimus, *συμμαχούσιαν* illam h. I. pro simplici testimonio, quod Spiritus S. de filiatione nostra, spiritui nostro, in maiorem cordium de eâ convictionem ac certitudinem, perhibet, ponit & capiendam esse. Nam ipsa ratio argumentationis, quâ suum v. 14. prolatum assertum, quod nempe, *qui Spiritu DEI aguntur, sint Filii DEI*, probat, hunc significatum postulat. Evincit etenim illud ex eo, quod, qui Spiritu DEI aguntur, ab eo etiam inhabitentur in quibus adeoque operetur, de adoptione ipsorum in filios DEI, testando, ut immotâ cordis fiduciâ clamare possint: *Abba, Pater!* siquidem uno relatorum posito, alterum quoque ponit, necesse.

---

(\*) Vid. CHRISTOPH. WITTICHII Investigatio Ep. ad. Rom, h. I.

necessum est. Interim, si quis tamen præpositionem *cum*, com-  
positionem verbi huius ingredientem, urgere velit, quod *per* *cum*  
*μεταξι* plurum de re quadam una latum testimonium indi-  
cet; non negamus, & sic commodam & analogiæ fidei mini-  
me contrariam Oraculi præsentis interpretationem dari posse.  
Attamen nec ita constantem omnium & eandem invenimus in-  
terpretationem, prout præpositione *cum* alium aliumve putant  
respici testem, unā cum Spiritu S. filiationem nostram in nobis  
attestantem. Alii nimurum *συμμετρίας* hanc referunt ad Pa-  
trem atque Filium: quæ sententia tantum abest ut improbari  
possit, ut bene potius fundata pronuncianda veniat. Etenim  
¶ Job. V. 7. expresse tres in cœlo dicuntur esse testes: Pater, Ver-  
bum (scilicet hypostaticum illud, seu Filius) & Spiritus S.  
addito: *hosce tres unum esse*, nimurum unum essentia & essentia-  
libus attributis, unum igitur etiam voluntate, unum potentia  
unum operationibus ad extra, ut extra essentiam divinam una  
persona operante, omnes tres simul, idem, & eodem modo  
agant, eundemque producant effectum. Id quod exprimit  
recepta Regula: *Opera ad extra sunt indivisa*, i. e. omnibus tribus  
personis communia. Quod enim attinet ad illam Scripturis  
usitatam *ἰδιοποιησιν*, quâ certum aliquod opus ad extra divinum  
uni S. S. Trinitatis personæ appropriatur atque singulariter ad-  
scribitur, notum est unicuique, haud eam esse reliquarum du-  
arum personarum ab isthoc opere exclusivam, sed ordinis  
tantum earum vel in subsistendo, vel in operando, repræsen-  
tativam & indicativam. Quæ cum ita sint, nihil in illa dicti  
nostræ explicatione quidquam invenietur, cur ceu falsa rejicien-  
da, quin ex adverso potius analogiæ fidei omnino consentanea  
dicenda sit. Aliis videtur, præpositionem *cum*, sive *cum*, ad  
Scripturam S. referri posse, ut illa quidem externus, Spiritus S. au-  
tem internus fidelibus præsto sit *ὑπόθεσίας* suæ testis: quam quo-  
que sententiam ad commodum revocari sensum posse, res ipsa  
dubitare nos non sinit. Scriptura namque S. non quidem singu-  
lorum individuorum adoptionem nominetenus attestatur;  
attamen non causas solum ejusdem, principales pariter ac mi-  
nus

nus principales, indicat, sed etiam testatur, per fidem nos DEI filios esse, *Gal. III. 26.* inde quo fidem nostram explorare nos jubet, *2. Cor. XIII. 5.* criteria fidei autem *Gal. V. 6. 23. Jac. II. 18. 26.* alibique indicat, ut faceamus, quod & ex paternis castigationibus signum aliquod filiationis nostræ desumendum esse, tradat, *Ebr. XII. 6. 7. 8. Apoc. III. 19.* nec universales, quas exhibet, promissiones de fidelium æternæ salutis hæreditate commemoreremus. Ex quibus omnibus homo fidelis certo colligere potest, se gratiam hanc adeptum & ejus participem esse. Nam cum hocce testimonio Scripturæ, quæ, ut potentia DEI ad salutem, in animis hominum non resistentium, nec virtutem ejus impedientium, efficaciter operatur, *Rom. I. 16.* semper concurret Spiritus S. non coordinate, sed subordinate, ita ut Spiritus S. non sine, sed una cum Verbo & per Verbum, hocque non sine, sed cum Spiritu S. testetur, quemadmodum, juxta vulgaritatem illam Regulam, causæ principalis ac instrumentalis idem est effectus. Alii denique verbum συμμαχητεῖν ad spiritum nostrum relatum malunt, quicum Spiritus S. νιοθεσία nostram contestetur, quorum & allegatae supra versiones tendunt. Quam itidem sententiam non absolute falsam pronunciare audemus, dummodo recte congrueque declaretur. Præsupponendum nimis est, spiritum nostrum non aliud heic denotare, ceu jam innuimus, quam animam nostram rationalem, non autem spiritualia per regenerationem atque sanctificationem ei collata dona, quæ alioquin metonymice spiritum in Scripturis vocari, non inficiamur. Ut itaque nimis subtiles judicandi sint, qui singulas animæ facultates enumerando, quas in illis operatus est Spiritus S. qualitates, ut testes fide dignissimas cum illius testimonio conjungendas, huc advocare volunt, tametsi supra jam fassi fuerimus, effectum de causa sua testari, & ex illarum in melius mutatione fidem nostram, in ejus exploratione, colligendam esse. Nam ut imperfectionem earum ac infirmitatem, ob connati mali radicem in renatis residuam, quacum illis per omnem hancce vitam colluctandum est, *Rom. VII. 22. 23. Gal. V. 17* non memorēmus, quapropter testes omni exceptione majorés in hac causâ haberi nequeunt; non video, quomodo vel voluntati, vel affectibus & appetitu, si accuratius loqui velimus, testimonium adscribi possit, quippe

B

quod

quod notitiam ejus rei, de qua ferendum est, in testante præ-supponit, cum prædictæ facultatēs propria virtute cognoscendi destituantur. Remanet itaque, Synecdochica hac loquitione per spiritum nostrum non aliud intelligi, quam conscientiam nostram, cui alioquin etiam testandi vis & testimonium de actionibus & statu hominum tribuitur, Rom. II. 15. IX. 7. 2. Cor. I. 12. Hæc enim est actus ille judicialis intellectus præticī in statum hominis & actiones ejus inquirens, factaque earum cum Verbo divino (sine quo nullum hic testimonium valet,) comparatione, sententiam velut pronuncians, qualem offendit hominem, qualeque de statu illius ferendum judicium sit, sive pro quali seipsum homo habere ac judicare possit debeatve. Quod si ergo penitus & integre semet exploraverit homo, ita ut seipsum non fallat, (quod quam facile fieri possit, tristis experientia, vel in iis ipsis, qui se solos renatos & sanctos jactitant, aliorum temerarii judices, tantum non quotidie docet,) & cum hoc sui spiritus, Spiritus Sancti testimonium conjungitur, certus esse fidelis potest, quod sit filius DEI. Hanc igitur interpretationem etiam Dictum nostrum, salva fidei analogia, admittere posse, dubium supererit nullum. At, vero licet sic in re ipsa nullus sit expositionum hujus Oraculi dissensus; nullam tamen in reliquis causam invenimus, quapropter ea deerenda sit, quam ex Apostoli scopo & cohærentia verborum antea probavimus, ut sensus sit, Spiritum S. mediante Verbo in fidelibus interne testari, atque animas eorum certiores reddere ac convincere, quod sint filii DEI.

Sed questio jam emergit: Cum ex illo testimonio Spiritus S. certi siamus, quod simus filii DEI: num ergo nemo filius DEI sit, qui hocce testimonium intra se non sentit, eoque actu secundo fruitur? Circa quam definiendam, arbitror, quilibet haud difficulter conjicere posse, haud parum cautionis adhiberi debere, ne temere vel impiorum vana persuasio alatur, vel verè fidelium conscientias turbentur & angantur. Sunt quidem, quod dolendum, in peccatis perseverantes, & nihilominus, quoniam aliquali fide historicā imbuti, Sibi imaginantur, per eam se in statu gratiæ, DEique filios esse. Quos ergo aliud doceri, necessum est, ad filiationem illam non fidem de Christo sufficere, sed fidem in Christum, in fiduciâ cordis,

non  
houp

non theoreticā, sed practicā, consistentem requiri, deindeque per charitatem efficacem. Sed hi extra præsentem tractationem nostram sunt, quibus de ~~supradictis~~ Spiritus S. de fidelium in filios DEI adoptione sermo est. Hic autem nimis audacter quosdam agere cernas, qui, neminem filium DEI esse, aut eum se reputare posse, dicere non dubitant, nisi hoc Spiritus sancti testimonium intra se sentiat, & actuale illius capiat experientum, discrimen fidei reflexæ & irreflexæ, firmæ ac infirmæ, non attendentes. Certum equidem est, quorum est fides robustior, sæpius testimonii hujus sensu frui & gaudere; num autem, quibus id non eo gradu, contingit, ut de eo gloriari queant, eos omnes ab ipsa filiatione removere & excludere nobis licebit? Nonne potius, cum Paulo, *Rom. XI. 33. 34. 35.* in hoc etiam occultas DEI vias agnoscere ac venerari, fas est, magisque nos decebit? Non loquar de infantibus, quorum fides est irreflexa, nec adulorum gravioribus temptationibus obnoxiorum faciam mentionem, eos respiciens, qui verè credunt, seque credere norunt, attamen infirmitatem atque tenuitatem fidei suæ ipsimet sentientes, & de eâ non sine animi dolore & anxietate conquesti. Num & eos ex filiorum DEI numero excludemus, propterea, quod, se nullo testimonii Spiritus sancti de suâ filiatione sensu gaudere, fatentur? Quis negat ausit, hos quoque devotè & ex animo, quantumvis debili trepidoque, clamare: Abba, Pater! id quod Spiritus S. in illis operationi omnino tribendum, *Gal. IV. 6.* coll. *Zach. XII. 10.* ejusque testimonii loco habendum. Dum enim nihil magis desiderant, nihil tam aliud optant & anhelant, quam paternum erga se DEI affectum, & amoris effectus, nonne fides illorum exinde colligenda est? Per fidem autem filii DEI sunt, adeoque Spiritus S. in illis testatur, tametsi testimonium illud in corde suo actu non sentiant aut experiantur. Absit igitur à nobis ea temeritas, ut *vñodæcias* iis omnibus denegemus, consequenter & ab hereditate salutis excludamus, qui de actuali testimonii Spiritus S. de sui adoptione intra se sensu, propter imbecillitatem fidei suæ, gloriai non audent, & memores potius simus moniti Paulini, *Rom. XIV. 4. 10. 13.* Absit autem & ea imprudentia, ut eos solos, & omnes quidem eos verè justificatos DEI que filios ducamus atque pronunciemus, quos de tali testimonio

nio Spiritus S. in se gloriantes audiemus. Quis enim ignorat multos existere Christianorum nomen affectantes, at fidem in ore quidem, non autem pectore gerentes, ut ab aliis filii DEI habeantur, quales videri, quam esse, malunt? Et quem fugit, multos in genere mortalium hypocritas dari? existimantes, negotium esse pietatem, 1. Tim. VI. 5. habentes speciem pietatis, virtutem verò ejus abnegantes, quos fugere ac aver-sari nos Apostolus jubet, 2. Tim. III. 5.

Ad Vos autem, CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI! mea se nunc speciatim convertit oratio. Quantu[m] faciendum & aestimandum sit, de quo haec tenus differuimus, Spiritus Sancti testimonium, unumquemque Vestrūm, vel me tacente, arbitror, agnoscere. Per illud enim de hereditate salutis aeternae certiores atque securi reddimur, siquidem filii bonorum paternorum heredes fiunt. Quapropter & Apostolus noster: *Spiritus, inquit, contestatur spiritui nostro, quod sumus filii DEI. Si vero filii, etiam heredes, heredes quidem DEI, cibaredes autem Christi; siquidem simul patimur, ut simul etiam glorificemur.* quis autem nostrūm est, qui non heres coelestium, a gratia divinā nobis preparatorum, bonorum fieri desideret? quis non ad ineffabilem illam & nunquam cessaturam gloriam adspiraret? Adspirare verò ad eam recte poterit nemo, nisi filius DEI. O felicem igitur, atque beatum, cui de suā filiatione Spiritus sancti testimoniūm certum reddit! Certus enim sic est de filiatione suā, ab eademque dependente aeternā hereditate. Sed caveamus, oportet, ut ne peccatis tanto nos dono indignos praestemus ipsi. Quandoquidem autem a nobis ipsis nullum in nobis excitare spirituale bonum, aut ad illud quidpiam conferre valemus, sed omne id gratosæ Spiritus S. operationi debetur; non hoc solummodo Festo, sed omni tempore, & per vitam omnem, illius a DEO nobis exoremus inhabitationem atque ductum, cum Davide, Psalm. CXLI. 10 precatis: *Doc me, Domine! facere voluntatem tuam; quia Tu Deus meus: Spiritus tuus bonus me ducat in terra rectitudinis.* Amen!

P. P. Sub Sigillo Rectorali Academicō,  
Fer. I. Pentecostes, d. 17. Maji, Anno MDCCXXXIX.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1004028547/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004028547/phys_0016)



non theoreticā, sed practicā, consistentem requiri, dei  
 per charitatem efficacem. Sed hi extra præsentem tracta-  
 nostram sunt, quibus de *suppœgna* Spiritus S. de f.  
 in filios DEI adoptione sermo est. Hic autem nimis a  
 quosdam agere cernas, qui, neminem filium DEI esse, a  
 se reputare posse, dicere non dubitant, nisi hoc Spiritu  
 testimonium intra se sentiat, & actuale illius capiat  
 mentum, discrimin fidei reflexæ & irreflexæ, firmæ ac  
 non attendentes. Certum equidem est, quorum est f.  
 bustior, sæpius testimonii hujus sensu frui & gaudere;  
 tem, quibus id non eo gradu, contingit, ut de eo glori-  
 ant, eos omnes ab ipsa filiatione removere & exclude-  
 licebit? Nonne potius, cum Paulo, *Rom. XI. 33. 34. 35.*  
 etiam occultas DEI vias agnoscere ac venerari, fas est, m-  
 nos decebit? Non loquar de infantibus, quorum fides  
 flexa, nec adultorum gravioribus temptationibus obn-  
 faciam mentionem, eos respiciens, qui verè credunt,  
 credere norunt, attamen infirmitatem atque tenuitat-  
 sux ipsimet sentientes, & de eâ non sine animi dolore &  
 tate conquesti. Num & eos ex filiorum DEI numer-  
 demus, propterea, quod, se nullo testimonii Spiritus S.  
 suâ filiatione sensu gaudere, fatentur? Quis negare a-  
 quoque devotè & ex animo, quantumvis debili trep-  
 clamare: Abba, Pater! id quod Spiritus S. in illis op-  
 omnino tribuendum, *Gal. IV. 6.* coll. *Zach. XII. 10.* ejus-  
 testimonii loco habendum. Dum enim nihil magis de-  
 nihil tam aliud optant & anhelant, quam paternum  
 DEI affectum, & amoris effectus, nonne fides illorum  
 colligenda est? Per fidem autem filii DEI sunt, adeoque  
 tus S. in illis testatur, tametsi testimonium illud in  
 actu non sentiant aut experiantur. Absit igitur à nobis  
 meritas, ut *νιοθεοίας* iis omnibus denegemus, conseque-  
 ab hereditate salutis excludamus, qui de actuali te-  
 Spiritus S. de sui adoptione intra se sensu, propter im-  
 tem fidei suæ, gloriari non audent, & memores potiu-  
 moniti Paulini, *Rom. XIV. 4. 10. 13.* Absit autem & ea-  
 dentia, ut eos solos, & omnes quidem eos verè justifica-  
 que filios ducamus atque pronunciemus, quos de tali

